



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

III. Declarat causas quæ non sine Ruffi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationes ad sedem apostolicam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

VII. Explicatur causa Joannis Episcopi Nicopolitani, qui temporibus Hormisdæ Papa relationem de ordinatione sua non miserat secundum morem ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem.

VIII. Hormisdæ petebat Dorotheum Romam dirigi, ut illic examinaretur in causa fidei. Negavit Iustinus Imperator, & Dorotheus non ivit Romam.

IX. Hæc discordia dedit occasionem ornandi Episcopum Nicopolitanum vicariatu sedis apostolicæ. Ad Gregorium Magnum referri non debuit de ordinatione Episcopi Nicopolitani, si tum is fuisset subiectus Thessalonicensi.

X. Corruptus sancti Gregorii locus emendatur; in quo, ut hodie quidem legitur, agitur de Nicomediana civitatis Episcopo. Ostenditur heic agi de Episcopo Nicopolitano.

XI. Sixtus III. dat Anastasio auctoritatem convocandi Concilia generalia Diocæses Illyricianæ, ad causas judicandas: quæ si illic finiri non poterint, ab eo referantur ad apostolicam sedem.

XII. Additidem Sixtus novum privilegium, ut si quis Episcopus ex provinciis Illyricianis Thessalonicam ad Anastasium accesserit præter ejus conscientiam, velut canonum contemptor habeatur. Holstenius heic agi putat de Episcopis Romam proficiscentibus absque formata Episcopi Thessalonicensis.

XIII. Sixtus Proclum CP. hortatur ne in jura Thessalonicensis antistitis irreat. Quibus verbis designantur tentamenta Episcoporum Illyricianorum, qui se subtrahere moliebantur auctoritati Episcopi Thessalonicensis ut ad Constantinopolitanum se conferrent, & metus Pontificis ex vicinitate Procli.

**B**ONIFACIO successit Celestinus I. Iustus nominis primus, cujus ævo celebratum fuit Ephesinum Concilium adversus hæresim Nestorij, in quo Flavianus Philippensium Episcopus Rufi Thessalonicensis Legatus adfuit & subscripsit post Episcopos Hierosolymitanum & Ephesinum, ante Firmum Casareæ Cappadociæ Exarchum. Quod viri docti datum interpretantur honori vicariatus sedis apostolicæ, quem jam à tempore Innocentij primi continuata potestate secundum morem habebat Rufus à Celestino. Agnoscens enim iste privilegium hoc Ecclesiæ Thessalonicensi ita indultum esse ut semper is vicem beati Petri agere deberet in provinciis Illyricianis qui sedem illam teneret, Thessalonicensemque Episcopum semper apostolicæ sedis vicem implevisse juxta observationem Dionysij Exigui quam supra attulimus, etiam istud confirmatum esse voluit sua auctoritate, ne quid minus successoribus suis huic Ecclesiæ tribuisset videretur. Docet istud Nicolaus primus in epistola ad Michaëlem Imperatorem, in qua enumerans Pontifices Romanos qui primi Thessalonicensem antistitem decreverunt esse Romanæ sedis Vicarium per Illyricum, Celestinum inter illos recenset. Verum testis in hoc nobis erit ipse Celestinus ad Episcopos per Illyricum constitutos scribens in

causa Felicis Episcopi provinciæ Dyrracina; qui quorundam accusationibus circumventus ac penè oppressus, apostolicæ sedis auxilio evaserat ex hoc periculo. Hac occasione Celestinus Episcopis illis significat jam inde ab antiquitate sedem apostolicam derivasse partem aliquam suæ sollicitudinis in provincias Illyricianas, earumque curam Thessalonicensi Ecclesiæ semper fuisse commissam, confirmasse se eam auctoritatem Rufo, cui eos obedire præcipit in omnibus causis ecclesiasticis; postremo minatur abstentionem & segregationem à cætu fraternitatis ei qui refragari auderet vel auctoritati suæ vel illius jussioni.

II. Ista cum sint magni momenti, & epistola illa Celestini apertius explicet auctoritatem illam Vicarij Thessalonicensis quam superiorum Pontificum epistolæ, referenda sunt heic illius verba. *Nec nova hæc, inquit, sedi apostolicæ cura de vobis est. Statutum nostris sæpius experimentum hoc quod nos agimus Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum ut vobis vigilanter intendat. Tum laudata virtute obedientiæ, & commendata beati Petri auctoritate & prærogativa, Dominentur vobis regule, inquit, non regulis dominemur. Simus subiecti canonibus, cum canonum præcepta servamus. Sunt culpe aliquantæ non leves, quæ illis innotuit provinciis, ad nos, cum simus longius, non possunt pervenire, aut jam semotis omnibus nota ut sunt acta interposito temporis spatio perferrantur, quas omnes nos intercessione fratris & cœpiscopi nostri Rufi, cujus experientiam probatam esse in causis omnibus & vitæ actibus liquet, volumus referari, cui vicem nostram per vestram provinciam norveritis esse commissam, ita ut ad eum, fratres carissimi, quicquid de causis agitur referatur.*

III. His ita generaliter sancitis, statim declarat causas quæ non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationem ad sedem apostolicam. *Sine ejus consilio, inquit, nullus ordinetur, nullus usurpet eodem in consilio commissam illi provinciam, colligere nisi cum ejus voluntate Episcopus presumant; per eum etiam ad nos si quid est referatur. Excommunicationis denique pœnam intonat illis qui his constitutis apostolicæ sedis non obedierint: Sed hac præceptione cognoscant & eum qui refragandum nostræ auctoritati vel illius crediderit jussioni, à fraternitatis cætu, cum ipse separaret, segregandum.*

IV. Mortuus est per eas tempestates Rufus Thessalonicensis Episcopus; & Anastasius statim in ea cathedra locatus, vicariatu sedis apostolicæ secundum morem ornatus

Celest. I. epist. ad Episcopos per Illyricum, apud Holsten. pag. 87.

\* Legendum potest in Illyris nazæ